

crimine, scientia vacuus, cum in Christo plenitudo deitatis habitare dicitur &c.

EXERCITATIO LVIII.

Qualis distinctio & oppositio sit inter mortalitatem & immortalitatem.

I. **Q**Uæritur de mortalitate & immortalitate, utra positivum quid sit, utra negativum, & quomodo sibi mutuò opponantur. Ubi quidem responderi potest, ex communi hominum opinione, qui vocibus illis valorem & usum primum dedere, mortalitatem videri quid positivum, immortalitatem negativum, ut ipsarum vocum formatio indicat. Sed hanc opinionem alibi jugulavimus.

2. Quin etiam vulgò eadem inde refutatur, quod secundum commune hominum judicium vita & mors sibi opponantur, ut habitus & privatio (quoniam vitam omnes considerant tanquam perfectionem aliquam, cujus absentiam mortis nomine designant:) habitus autem positivum quid est, privatio negativum.

3. Quare si constare sibi velint, necessum est ut immortalitatem, utpote quæ

Bb 2

nihil